IN GYMNASIO GRYPHISVALDENSI

DIEBUS XXIX. ET XXX. M. SEPTEMBRIS INSTITUENDUM

ADQUE

ADULESCENTIUM QUORUNDAM

PUBLICAM E GYMNASIO DIMISSIONEM

DIE I. M. OCTOBRIS PERAGENDAM

QUA DECET OBSERVANTIA CONVOCANT

SIMUL

COMMENTARIOS DE GYMNASIO ANNUOS

EDUNT

RECTOR ET COLLEGAE.

PRAEMISSA EST HERMANNI PALDAMI DE PERVIGILIO VENERIS QUAESTIO.

GRYPHISVALDIAE

TYPIS FRIDERICI GUILELMI KUNIKE, REG. UNIVERS. TYPOGR.

MDCCCXXX.

It Ver et Venus et Veris praenuntius ante
Pennatus graditur Zephyrus, veſtigia propter
Flora quibus mater praeſpergens ante viäi
Cuncta coloribus egregieis et odoribus opplet.

Lucret. de R. N. V, 736-740.



Quotienscunque ad Romanorum poëtarum monumenta, quae ſuperſunt, litteraria animum adverto, adverſam, quae experta ſunt, fortunam dolere ſoleo. Multorum eorumque praeſtantiſſimorum poëtarum fere ſola nomina reſtant, damnum, quod fecimus, grave numquam non in memoriam revocantia, aliorum carmina, quae ſunt ſervata, a viris doctis ex renatis litteris florentibus nulla niſi levi admodum ſubitaque et quaſi tumultuaria cura dignata ſunt. Quod genus carminum Anthologiam minoraque quae aiunt poëmata complectitur. Haec enim contempta iacebant partim propter immenſam Virgilii auctoritatem, quo quum nihil divinius eſſe putarent, omnium ſtudia in hunc unum converſa ſunt, partim propter recentiorum, qui latina utebantur lingua, poëtarum multitudinem, quos adeo feliciter antiquis aemulatos eſſe conſtat, ut complures eorum, veluti Cotta, I. Iovianus Pontanus, Balthaſar Caſtilioneus, Strozzi, Iacobus Sannazarius, P. Lotichius, Naugerius ab illorum praeſtantia haud multum abeſſe videantur. Tantis divitiis abundantes quid Anthologias evolvere aurumque de ſtercore colligere opus fuit? Paratis praeſtabat frui epulis, labore quaeſitas non appetebant. Nec quisquam erat, qui eorum libidinem coërceret, quorum quaſi munus veterum poëmatum interpolatio eſſe videbatur. Temerarium iſtud inceptum notavit ſevere Ioſephus Scaliger in Addendis ad Gruteri Corp. Inſcript. p. 313., ſed qua erat divinus homo gravitate, noluit in eandem cum iſtis nebulonibus arenam deſcendere. Ac favebat iis infelix multorum ambitio, quam plurima eaque *antiqua* carmina in *vetuſtiſſimis* libris reperta laudandi, qua ducti nullo iudicio adhibito omnia cupide arripuerunt. Quocirca mirum non eſt, Burmannum Secundum, qui primus molem iſtam digerere coepiſſet, multa intacta, plura non abſoluta reliquiſſe, quod damnum neutiquam is reſarſit, qui longe impari ſucceſſu alteram illam collectionem confecit, Wernsdorfius, a Batavo multum ſuperatus, ſive criticam artem ſive doctrinae amplitudinem ſive ſubſidiorum litterariorum copiam ſpectas. Itaque factum eſt, ut operam ſuam parum, teſte Wyttenbachio

in vitis doctor. viror. ed. Friedem. I. p. 276., Ruhnkenio probare poſſet, qui primus epigrammata nonnulla Latina via et ratione explicuit.* Novum quaſi ſidus, Laurentius Santenius, vix effulſerat, quum interiit; quo in viro ſaepenumero dubitare ſoleo, quid magis admirer, utrum ingenii Romani ſcintillas identidem micantes, an accuratam et ſine moleſtia doctrinam. Quod igitur Graecis litteris gratulamur, anthologiam Graecam Palatini libri ope reſtauratam eſſe, id Latinis nondum contigit. Quid? quod, quantum equidem ſciam, nemo adhuc nos de codice Salmaſiano ſchediſque Divionenſibus luculenter edocuit, quas ex illo deſcriptas eſſe pro certo affirmavit Leſſingius Opp. IX p. 70 ſq. ed. nov., acriter autem negavit Burmannus praef. Anthol. L. I p. LI ſq.? Nec quae huic loco finitima eſt quaeſtio de ſingulorum carminum auctoribus atque aetate ſatis pertractata videtur, licet eorum ſanequam magnus ſit numerus, qui ingenii experiundi ſui artisque criticae factitandae periculum facturi plurima loca acute emendarent: eminent vero in his Iohannes Schraderus et Franciscus Oudendorpius: utpote quod maius illud et fructuoſius ante conſequendum eſt, quam certo vitia tollere liceat. Certa enim emendatio ex ſcientia aetatis et ſcriptoris pendet. Quocirca pleraſque eiusmodi coniecturas luſus citius quam emendationes dixerim, ſi a Catalectis ad corrigendum difficillimis diſceſſeris, haud ita magni faciendas. Itaque ad Pervigilium Veneris ipſa eius praeſtantia invitatus ferebar, cuius tanta eſt venuſtas, gratia, mollitudo, ut quisque eo, modo ne ſit plane indoctus ac barbarus, alliciatur et mirifica voluptate quaſi ſe titillari ſentiat. Qui autem in carmine emendando laudabiliter, certe ex parte, verſati ſunt, Lipſius, Pithoeus, Salmaſius, Bahrdtius, Scriverius, Sanadonus, Rivinus, Fontanius, Bouherius, Cruſius, Axtius denique meus, ii quaeſtionem de aetate vel intactam reliquerunt vel leviter tetigerunt, ex relicuis vero alter, Wernsdorfius, prorſus a vero aberravit, alter, Erneſtus Schulzius, ex parte verum perſpexit, perſpectum accuratius exponere argumentisque undique petitis corroborare neglexit. Neque me fugit, quantam quamque difficilem rem aggreſſus ſim, in qua iudicia elegantiſſimorum hominum ita inter ſe discrepant ac repugnant, ut omnis de conſenſu ſpes abiicienda eſſe videatur. Sed labantem iam et reluctantem animum perſuaſio erexit, me pro virili parte in hoc elaboraſſe argumento ſemperque memorem fuiſſe quae vaferrimus Siculus praecepit: Νᾶφε καὶ μέμνας' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Nec amor inventionis, quippe qui, ſi erat, dudum refrigeratus ſit, me, opinor, decepit, qui fidenti animo, ſed verecunde, quae a me ſubſecivis horis meditata et commentata ſunt, cordatiorum iudicio ſubiiciam. Simpliciter ſententiam meam expoſui nec calamiſtris eam inurere placuit, quos cane peius et angue, ut aiunt, his in rebus odi. Ceterum vehementer laetabor, ſi id ſolum mea qualicunque ſcriptiuncula conſequutus ero, ut praeſtantior aliquis ingenii doctrinaeque abundantia rem tanto opere agitatam conficiat, imprimis Naekius Bonnenſis de hisce minoribus poëtis optime meritus meriturusque.

Venerem, id est, gignentem quandam et procreantem vim omnes fere antiqui populi nobis paulo notiores colebant, sive Athor, ut apud Aegyptios, sive Mylitta, Alitta vel Mithra, ut apud Persas Assyriosque, sive Astarte, ut apud Phoenices Carthaginiensesque, sive Dziedzilia, Polonorum dea, sive denique Urania, [1]) quemadmodum apud Graecos, vocabatur. Apud orientis populos, in Asia illa, quam ex ipsius Tullii testimonio sine famae detrimento difficulter peragrandum erat, maxime in Phrygia dea vel etiam deus Venus, Hierodulis templum habitantibus, non sine summa luxurie colebatur. Cf. Strabo XII. p. 230. ed. Tsch. Creuzer. Symbolic. I, p. 733 sq. II, p. 34—36. Hug. de Mytho p. 117 sq. Boeckh. et Buttmann. in Addeudis ad Hirtium de Hierodulis. Nec multo castior cultus in Aegaei maris insulis fuisse videtur. Graeci autem Europaei sapienter Gratias deae comites esse voluerunt, ut vel illae Coliades et Genetyllides, ab Aristophane toties memoratae, honestiores essent aut maiorem honestatis speciem prae se ferrent. Licentius dea in Magna Graecia colebatur, praecipue apud Locrenses, Asiatico more bacchantes. v. Athenaeum p. 697, B. Schol. ad Pind. Pyth. II, 34. Iustin. XXI, 3. In Capuana regione habitantes deam plurimum celebrasse, ex eius cognominibus, veluti *Lucrina*, apparet. V. plura apud Dan. Heinsium ad Sil. Ital. XIV, 410 et Burm. ad Gratii Falisci Cyneget. v. 129. Quocirca haud temere Livii verba ad Veneris cultum traxeris XXIII, 25: *Triduum sacrificatum ad Hamas. Nocturnum erat sacrum, ita ut ante mediam noctem compleretur.* Etiam, *Campanis omnibus* commune fuisse festum addit. Hamae vero tria milia passuum ab Cumis sitae erant, intra Cumas autem et Misenum, sex miliaria distantes, Baiae iacebant (v. Mannert. Geogr. IX, I. p. 722.) illa, ut ita dicam, Veneris officina, ubi etiamnunc, regione deserta, aura amorem spirare videtur. Vicinum erat Paestum, rosarum et multitudine et pulchritudine imprimis celebre. v. Plin. N. H. XXI, 10. Interpp. ad Propert. IV, 5, 59.

Vetus autem Italia, propter severam, tristem ac simplicem religionem Paphiae cultum aversata videtur esse. Cf. pulchram de veteris Italiae religione disputationem Creuzeri Symbol. II. p. 969 sq. Sic apud Etruscos Veneris templa ab urbibus remota esse debuerunt v. Mueller. Etrusc. II. p. 74 omninoque ex peregrinis diis vel severiores receperunt vel eos in tristiores mutarunt, veluti Apollinem in Veiovem, v. Mueller II. p. 69., Hippolytum in Virbium deum Ariciae cultum. v. Buttmann. Mytholog. V. II. [2]) Venus Libitina prima fuit Romae

---

1) Vix opus fore arbitror, ut addam, plane aliam esse Uraniam apud Xenophontem et Platonem in Symposiis, quos praeter plurimos philosophos Scholiastae Luciani, Theocriti, aliorum sequuti sunt. Cf. Boeckh. ad Pindar. fr. p. 611. Dissen. in sua editione p. 640 sq.

2) *Turan* vocari Venus dicitur in vase Borgiano. cf. Visconti in Museo Pio Clementino T. V, 84.

culta [3]), etsi *dei* Veneris iam antiquitus culti reperiuntur vestigia. v. *Rasche* Lex. rei nummar. s. *Venus*: *Dea* Venus quanto opere incognita fuerit Romanis, optime Macrob. Sat. I. p. 256. ed. Bip. Varroque apud Tertullian. ad nat. II. c. 12. et de L. L. VI, 4. docent. Primum deae templum a Fabio Gurgite exstructum a. u. c. 457 traditur; celebratissima autem inter deae cognomina illud severius castiusque *Verticordiae* mansit, quippe quae ad pudicitiam et matronalem gravitatem corda verteret. Pari fere honore Venus Erycina fruebatur, duabus aedibus aucta, v. Liv. XXII, 9, 10. XL, 34. et Venus Genetrix, quae fere cum Iulia gente floruisse et interisse videtur, quorum illud recte mihi colligere videor ex Caesaris laudatione apud Suet. Caes. c. 6., hoc ex inscriptionibus Genetricis post eversam Caesaris domum fere nullis repertis. v. Orell. Eclog. Inscript. I. p. 283. [4]) Quae praeterea commemorantur Veneris cognomina, aut severitatem indicant, ut Venus *Frugi*, v. *Forcellin.* s. *frutinal*, aut inferioris sunt ordinis, ut *Lubentina* apud Varronem de L. L. V. p. 53. ed. Scal. et Cic. de N. D. II, 25. et *Murtia* id est mollis, ducenda ab Aeolico *μαλκός*· v. Orell. ad Arnob. adv. gent. T. II. p. 199. Nam *Vestam* tamquam omnium rerum procreatricem et nutricem celebratam esse, satis constat; sed qui doctum de ea meditatus est syntagma, Lipsius, is c. 2. Augustini verba non intellexit de Civ. Dei IV. c. 10: *Aliquando Vestam non erubescunt etiam Venerem dicere.* Id quod pertinet ad eos, qui Graecum barbarumque morem quam domesticam disciplinam mallent. Ipse etiam, quod extremo loco addo, templorum Veneris numerus cum Graecis comparatus, parvus ac pene dixerim pusillus est. v. Rosin. Ant. II, c. 10. Sanequam Veneris festum Romae a matronis Kalendis Aprilis agebatur, (nam Οὐενερέαλια apud Plut. Quaest. R. p. 275, D. sunt ex verissima Scaligeri sententia *Vinalia*) quod ut vel leviter tangam, Wernsdorfius prooemio suo ad pervigilium Veneris facit v. Poët. Lat. min. T. III. p. 437 sq. Hic enim, in Valesii annotata ad Ammian. Marcell. XIX, 10. incidens, nonnullis ibi aliam ob causam allatis locis evincere studet, pervigilium Veneris actum esse a populo R., auspice praefecto U., tribus noctibus a Kal. April. ad III. Non. April.

Doleo hoc non Iaekelio *de diis domesticis Italorum* innotuisse, ut artificium illud suum etymologicum etiam huic voci adhiberet. Profecto si quis vel illos conatus *Veneris* nomen ducendi nostra praesertim aetate factos intuetur, is iam non amplius Laurentii Lydi commenta nunc longe superata ridebit. Quantum hic sapit prae istis!

3) De Veneris cum Diana et Proserpina confusione (Venus *exotia*) nondum habemus, qui luculenter exponeret. Est vero ducenda ex religionibus orientalium populorum. v. Lucian. de Dea Syria § 4. Herodian. V, 6, 4. Appul. Met. XI. p. 761. ed. Oud. Creuzer. I, p. 735 sq. II, p. 57. IV, 83. 98. Muenter. de religione Carthaginiens. p. 30.

4) Temporibus enim circa Christum natum partim Graeci scriptores extiterunt, cupide Romanorum originem a suis popularibus deducentes, ut Dionysius (v. Antiq. R. I, p. 56. l. 15 sq. ed. Sylb.) partim erant, qui Caesaris gentem adulari vellent, ut Virgilius, partim alii, veluti Lucretius, Graeca praecepta institutaque Romam traducere voluerunt.

in insula Tiberina. Quae maximam partem Aethici (p. 41. ed. Iac. Gronov.) his nituntur verbis: *Hic* (Tiberis) *iterum insulam facit inter portam Urbis et Ostiam civitatem, ubi populus R. cum praefecto urbis vel Consule Castorum* (alii *Castrorum* ut ipse Wernsdorf.) *celebrandorum causa egreditur solemnitate iucunda. Insula vero, quam facit intra urbis portum et Ostiam civitatem, tantae viriditatis amoenitatisque est, ut neque aestivis mensibus neque hiemalibus pasturae admirabiles herbae deficiant* (*dehabeat* ed. Iac. Gronov.) *ita autem vernali tempore rosa vel ceteris floribus adimpletur, ut prae nimietate sui odoris et floris insula ipsa Libanus almae Veneris nuncupetur.* Quid vero aliud ex his verbi intelligi potest, quam Romanos Castorem cum fratre celebrasse, quibuscum simul Veneri honores habitos esse posse haud negaverim, nam mari servatos Veneri se obstrictos sensisse, vel ex Horat. Od. I, 3. constat ac praesto est erudita Cerdae annotatio ad Virg. Aen. V, 801. Altera vero illa scriptura, *Castrorum*, si ferri potest, etsi magis Hebraeis quam Romanis eam convenire mihi videri fateor, de festo Fortunae Fortis vel de Cotyttiis explicanda est. [5]) Iam vero Ovidium audi de hoc Veneris festo Fast. IV, 133 sq.:

Rite deam Latiae colitis matresque nurusque
Et vos, quis vittae longaque vestis abest.
Aurea marmoreo redimicula solvite collo,
Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.
Vos quoque sub viridi myrto iubet illa lavari,
Causaque cur iubeat, discite, certa subest.

Consentit Lydus de mens. IV, 45: *Ταῖς τοίνυν Καλένδαις Ἀπριλίαις αἱ σεμναὶ τῶν γυναικῶν ὑπὲρ ὁμονοίας καὶ βίου σώφρονος ἐτίμων τὴν Ἀφροδίτην. Αἱ δὲ τοῦ πλήθους γυναῖκες ἐν τοῖς τῶν ἀνδρῶν βαλανείοις ἐλούοντο πρὸς θεραπείαν αὐτῆς μυρσίνῃ ἐστεμμέναι κ. τ. λ.* Nec aliter Fasti Praenestini et Kalendaria antiqua. Num tute aliquam huius festi similitudinem cum Aethici loco aut nostro Pervigilio reperisti? Insula vero illa Tiberina (nunc San Bartolomeo dicta) florida quidem erat, v. Dio C. 47, 2., ceterum Aesculapio sacra et Iovi Lycaonio Faunoque, v. Mannert. Geogr. IX, 1. p. 611. et Boettiger. de cultu Aesculapii in insula Tiberina in *Sprengelii* Addendis ad historiam artis medendi I, 2. p. 163—202., a Veneris cultu aliena fuisse videtur. Quod vero *Libanus almae Veneris* vocatur, id duco ex Syrorum in urbe frequentia, quorum auctoritate factum est, ut hoc cognomine ex Syria

---

5) Cf., ne longus sim, epigramma nisi Catulli, certe eo haud indignum in Anthol. L. I. p. 451. (Catalect. Virgil. V. ed. Heyne) cum Oudend. emendationibus et Scaligeri annotatis, Burm. in Addend. ad Anth. L. II. p. 728. Lessing. in Collectaneis s. *Cotytto.* Buttmann. de Cotyttiis et Baptis in Commentationibus Academ. Berolin. 1822—23. p. 213—222. Meinek. Quaest. scenic. Specim. I. p. 43. sq.

petito nuncuparetur. [6]) Alia argumenta mox afferam. Omnino autem eiusmodi pervigilia, quale nostro carmine describitur, Romae esse non potuerunt. Cuius rei duplex argumentum est, quorum alterum ex ingenio moribusque populi, alterum ex eiusdem historia petendum est. Quo tempore Romanos in nocturnis sacris tam tenero castoque carmine delectari potuisse arbitraris? Numae scilicet, si coniicere fas est, aetate, at vix alio quodam tempore. Ii enim erant Romanorum propter insitam vim ferociamque mores, ut vel crudelia vel foeda flagitiosaque spectacula appeterent, castos lusus alienosque ab cupiditatibus spernerent, id quod vel ipsius linguae in hac re inopia docet. Deinde etiam nocturna sacra gravibus poenis SCto de Bacchanalibus abolita sunt, v. Liv. XXXIX. init. et Cic. de legg. II, 15. cl. Matt. Aegyptii libello in VII. (XIV.) vol. Drakenborchiani Livii, quod quam sapienter factum sit, vel Iuvenalis Sat VI. docet, ut de aliis locis plurimis taceam. Accedit autem, quod nec Ausonius in Eclogario de Feriis R. p. 561. ed. Toll. nec Tertullianus tale festum memorant, quorum hic, nullam profecto occasionem praetermittens, quin paganis licentiam exprobraret, Veneris delicta ad solos ludos scenicos refert in Spectac. c. 9. 10. ad Nat. 1, 12. Tenendum vero est, *pervigilium* tres apud Romanos obtinere significationes. Primum ita nocturnae amantium ambulationes et in plateis commorationes vocantur, quas proprie *pervigilationes* (κοιμήσεις ἐπὶ θύραις v. doctam Welckeri de *comis* disputationem in Philostrato p. 202—216) dicebant, deinde hac voce sacra quaedam indicantur nocturna placandae deorum irae gratia instituta, quae severissima fuisse necesse est. Tac. An. XV, 44: *Et sellisternia et pervigilia celebravere feminae, quibus mariti erant.* Adde Suet. Aug. 94. Denique commissationes, in quibus Romani graecantes nulla nequitia abstinerent, pervigilia appellavere. v. Tac. Hist. II, 68.

Paulo fusius autem hactenus egimus, non quod his solis argumentis nostram de Pervigilio sententiam niti crederem, sed quia mea intererat docere, eiusmodi festum ab ingenio, moribus institutisque Romanorum plane abhorrere. Etenim, qua pervigilium sit actum, luculenter ex vv. 51 sq. apparet:

Hybla totos funde flores, quicquid annus attulit,
Hybla florum rumpere est, quantus Aetnae campus est. [7])

---

6) Quis ignorat Iuvenalia illa Sat. III, 62.:

Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam et mores et cum tibicine chordas
Obliquas nec non gentilia tympana secum
Vexit et ad Circum iussas prostare puellas.

7) Tutissimum hic et alibi visum est, Pithoeani libri scripturas, modo non prorsus depravatas, sequi. Coniecturis parum in hoc carmine profici, diuturna fere eius lectio me edocuit. Itaque etiam *Aetnae* non *Ennae*, ut vulgo legitur, cum codd. scripsi nec muto vocem, alibi satis crebro cum altera confusam. v. perdoctam Cluveri quaestionem Sicil. antiq. II. c. 7.

Quid ineptius fingi potest, quam Romae festum acturos Siculum oppidum florum afferendorum causa invocare? Fac nos Elissae lucum exornaturos carmine serta a floridis Salae Albisque ripis petere: quem, nisi Catonem aliquem ex tertio forte coelo delapsum, risum tenere arbitraris? At vero iure meritoque hortum botanicum eiusque praefectum humanissimum invocare licuit. Vehementer autem demirandum est, rem adeo simplicem a nemine, quod sciam, perspectam aut litteris mandatam esse, nisi ab Ernesto Schulzio, poeta haud spernendo, in scriptione de nostro carmine Goettingiae edita a. 1812. Qui quum satis habuisset, acti festi locum his verbis indicari, docuisse, id quod ratione ipsa credere cogimur, iam subtilius totum locum tractare iuvat.

Iam vero ex tribus Hyblis, quae fuisse perhibentur, Hyblam illam, quae maior fuit, propter Aetnae vicinitatem intelligi necesse est. Ipsum oppidum inter Catanam et Aetnam situm, quae duodecim ferme miliaria distabant, prope Symaethi vallum, (v. Mannert. Geogr. IX, 2. p. 287—293. 305 sq.) Strabonis aetate quidem iam dirutum erat, τὸ δὲ τῆς Ὕβλης ὄνομα συμμένει idem testatur VI. § 2. p. 267. ed. Almel. Aetna oppidum in montis cognominis clivo, Straboni cognitum (VI. p. 274.) Pausaniae tempore erat desertum. Pulchritudo regionum florumque amplitudo quum ex Claudiano de Raptu Proserp. II., 78.:

nunc omnia fetu
Pubescant virgulta velis, et fertilis Hybla
Invideat vincique suos non abnuat hortos.

ac Ciceronis Verrinis, ubi Aetnensis ager *cultissimus* vocatur, tum ex mellis multitudine et praestantia intelligitur [8]). Nec hodie quoque ea florum ubertas, quae deceat tale festum, desideratur. v. Goethium Opp. XXVIII, p. 186 sq. ed. nov. et Cephalidis Iter II, p. 54. 55. De Aetnae s. Inessae origine et fatis nolo eximiam Cluveri disputationem excerpere Sic Antiq. I. c. 9. Aetnenses erant Dorienses, quibus Campani et aliae ex Italia ductae coloniae admistae sunt. v. Plin. N. H. III, 14 (8) et Mueller. Doriens. II. p. 347. Graecos vero mores ac disciplinam non solum Romanis dominantibus in Sicilia viguisse, verum etiam diu postquam christiana religio recepta est atque aegre evanuisse, etsi etiamnum vestigia remanent, et satis inter eruditos constat, et nuper ab locupletissimo harum rerum arbitro, Niebuhrio, affirmatum est. Eiusmodi aliquid etiam in Pervigilio Veneris mihi invenisse videor. Veluti v. 92.:

Sic Amyclas, cum tacerent, perdidit silentium.

Quotusquisque bonorum Quiritium, quaeso et obsecro te, de Amyclis silen-

8) *Aetnaeum mel* vocitabant veteres. Data occasione Cluveri Sicil. antiq. I. c. 8. extr. errorem perstringere licet, qui Aetnaeum a Romanis dici arbitratur p. Siculo. Quod tantum de orientali insulae tractu valet; nec aliter Graeci, velut S. Oed. C. 304.

tio peſſumdatis, vel fando audivit? Quod Virgilium, reconditarum rerum auctorem, commemoraſſe non dedecuit, id in carmine alieniſſimum eſt, quod plebs, immo mulierculae canunt, niſi forte his ſcholiaſtam aliquem adſtitiſſe putabis, doctas ſuas explicationes auribus earum inſuſurrantem. Atvero optime Romanis convenit, Graecorum moribus inſtitutisque, praecipue Dorienſium, imbutis, urbis olim celeberrimae mentionem facere, quemadmodum apud Pindarum Aetnam Amyclasque, utpote inter ſe cognatas, una ſtrophra memorari videmus Pyth. I. v. 60—65. cl. Boeckhii copiis. Neſcio etiam an Graecam originem illud indicet Veneris cognomen *Dione*, a ſolemni cantu Romano ſane alienum, licet ab Horatio, Ovidio, aliis ſaepenumero uſurpatum, cui *Chelidon* vox v. 90 et productio penultimae in *Romuleas* v. 72. ex Graeco fortaſſe verbo nata annumerari poteſt. Accedit denique Dianae commemoratio v. 38., quae item Graeco nomine *Delia* invocatur, ab Siculis ut *σώτειρα* religioſiſſime culta. Alia ſciens praetereo veritus, ne cupidius argumenta conquirendo ridiculus viderer. Quorum in numerum complures poëtarum vel Siculorum vel Sicilienſium refero locos, qui cum Pervigilio egregie quadrant, neſcio utrum fortuitu an aliqua de cauſa. Nec me fugit, his rebus probari quicquam vix poſſe, praeſertim quum ipſe quondam Propertii verſum ex Ranis Ariſtophanis ad verbum ſumptum in Obſſ. ad Propert. p. 249. exagitaverim, ſed ſingulas res ſi in unum coegeris, eas aliquid ſaltem momenti habere par eſt. Quotienscunque autem, quantum quidem mihi ſcientiae eſt, Latinorum, quotquot extant, carmina evolvo, reperio ne unum quidem (excipio autem, quae non tam Romanae, quam Graecae originis iure habeantur) cuius cum Pervigilio ſimilitudo, non dicam probari, id enim omnino difficillimum eſt, ſed ſentiri poſſit. Lubrica res eſt, fateor, nec eiusmodi, ex qua ſola rite atque ordine ducatur argumentum, ſed neceſſarium in hoc carmine viſum eſt, ſenſa de eo, quamvis, utpote ſenſa, fallacia ingenue prodere, quum ex eorum pravitate vel ſinceritate multum in iudicando pendeat. Unum ut adiiciam, habet Pervigilium neſcio quid, quod vehementer paſtoralium admoneat carminum, quorum inventor a Tryphone Diomus, Siculus paſtor, apud Athen. XIV, p. 619, b. traditur. Atque Bucolica principio diis deabusque eſſe cantata, Diomedes p. 483. ed. Putſch. Servius ad Virg. Eclog. I. Donatus Vita Virg. p. 84 ſq. docent, qui cuncti in eo conſentiunt, quod originem eorum a Spartiatis vel Siculis trahunt. Quam rem quum poſtea attingere tempus futurum ſit, ſtrictim commemorare liceat, primum quod nulli ex bucolicis poëmatis Pervigilium ſimilius eſſe videatur, quam Bionis Epitaphio Adonidis, quod quum rationibus evinci nequeat, ſenſui relinquam lectorum. Alterum eſt, quod apud Pauſan. V, 23, 5 legitur de Hyblis: *Ἐν τῇ Καταναίᾳ δὲ ἡ μὲν ἔρημος ἐς ἅπαν, ἡ δὲ κώμη τε Καταναίων ἡ Γερεάτις, καὶ ἱερόν σφισιν Ὑβλαίας ἐστὶ θεοῦ, παρὰ Σικελιωτῶν ἔχον τιμάς.* Quae Hyblaea iſta fuerit dea, neminem adhuc probabiliter docuiſſe ſcimus; fortaſſis eadem illa Venus fuit, quam Hyblaeos coluiſſe ex carmine discimus. Iam, ſi de Veneris cultu feſtisque in Sicilia actis quaeris, haec accipe: Erycina plurimum colebatur, Venus, quae eadem cum Urania erat, (v. Octav. Caietan. Iſagoge ad Hiſt. Sic. c. XIII.) immenſis di-

[illegible] aucta. Expulsis Carthaginiensibus, Romani, inquit Diodor. S. IV, 83., τὸ σκυθρωπὸν τῆς ἐξουσίας ἀποθέμενοι, μεταβάλλουσιν εἰς παιδιὰς καὶ γυναικῶν ὁμιλίας μετὰ πολλῆς ἱλαρότητος, μόνως οὕτω νομίζοντες κεχαρισμένην τῇ θεῷ ποιήσειν τὴν ἑαυτῶν παρουσίαν. In quibus verbis τὸ σκυθρωπὸν spectare credo ad Adonin, Graecis Romanisque raro in festis commemoratum, v. Plut. Erot. p. 756, C. Mueller. Archaeolog. p. 172. 501., sed semper cum Phoenicia Venere coniunctum, cuius in Sicilia cultum magnificum Selinuntiorum templum et Isidis nummi apud Eckhel. D. N. I, 1. p. 204. et alibi indicant. 9) Quum vero dubitari nequeat, totum deae in insula cultum quodammodo ex Erycino pependisse, inde consequitur, ut cultus Veneris Aetnaeae se ad illam Graecam hilaritatem converterit, quam Romanos in Erycem reduxisse legimus. Primum illius cultus vestigium reperio in veteris poëtae versu apud Marium Victorinum p. 2542. ed. Putsch.: *Vocat Aetnae super altum caput acris choreas.* Alter Horatii locus est in nobilissima oda I, 4:

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas.
Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna:
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

Siculum quoddam festum his verbis tangi, satis, opinor, apparet et praeclare iam a Lambino observatum est. Quodsi enim poëta ipse omnia finxisset, quid eum impedivit, quominus locum magis vicinum eligeret? Aut temere hoc fecisse eum putabimus? Credat Iudaeus Apella, at ego non.

Quae loca si cum Pervigilio comparaveris, festi ratio satis apparebit, quam accuratius exponere iam animus est. Dea, quae colebatur, erat *physica Venus*, quemadmodum Urania in inscriptione Pompeiana apud Orellium n. 1370 vocatur, id est *genetrix* non *Aeneadum* solum, sed omnium, quae in mundo nascuntur, rerum. Quam ad Venerem refero statuas eius, in quibus utrumque sexus compareт, qualem in Museo Collegii Romani Winkelmannus vidit Hist. Artis l. IV. c. 2. § 32. Nam quae soli Veneri tribuebatur tum temporis generatio animantium, ea Coelo et Terrae, sive Isidi et Osiridi, Saturno et Opi, Iovi et Iunoni antea tribuebatur. Quod Procli locus apud Meursium in Graecia feriata V. p. 239 docet, ex

9) De Venere Erycina nota sunt Tullii loca; alia indicat Kiessling. ad Theocrit. XV, 101. Quae Heynius in excursu II. ad Virg. Aen. V. profert, ea parum bonae frugis praebent. Meliora num sint, quae nuper Ambrosius Balbus in *Dissertazioni risguardanti il culto di Venere Ericina Torino* 1824. prodidit, diiudicare nequeo. Certe res est subtiliore quaestione dignissima.

quo Atheniense festum Προτέλεια dictum, quod Veneri Iunoni agebatur, aliter Coelo Terraeque, Veneris parentibus, dicatum fuisse intelligitur. Quorum ἱερὸς γάμος summe celebratus, v. Pervigil. v. 59—62 cum Rivini copiis sive Wernsdorfii epimetron inde petitum p. 537—540. et Creuzer. Symb. II. p. 586., sub Veneris Uraniae quasi specie colebatur. [10]). Quoniam vero Venus genetrix omnium rerum erat, eam quoque legitimas per nuptias generationis custodem esse necesse erat. Quae est quasi altera Venus, εὔλεκτρος, nuptiarum praeses, vel *Libera* ut Varroni apud Augustin. de Civ. Dei VI. c. 9. dicitur. [11]) Utramque nostro carmine cani apparet. Vere autem festum esse actum, promptum est ad intelligendum, quippe quo tempore una cum dea generandi amor quasi redierit et redintegratus sit. Veris initium apud Romanos VII. Idus Febr. esse solebat, quo tempore Favonius [12]) flare incepit, aequinoctium vernum erat VIII. Kalend. April. Egregie hanc in rem Ciceronis facetiae quadrant in Verr. V, 10: *Quum autem ver esse coeperat, cuius initium iste non a Favonio neque ab alio astro notabat, sed, quum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur.* Itaque non Aprili mense, ut illud Romanum festum, quod ceteroqui uno die transigebatur, sed extremo Februario vel Martio mense ineunte, actum esse Veneris illud festum, his verbis: *ver novum*, si ea paulo acrius urgebis, comprobari potest. Namque Isidorus in Orig. V, 35: „Temporis, inquit, talem veteres discretionem faciunt, ut primo mense *ver novum* dicatur, secundo *adultum*, tertio *praeceps*.“ Quibus cum dictis Servius congruit ad Virg. Ge. I, 45. Flores autem statim cum Favonii flatu in Sicilia nasci quum mitis coeli temperies tum ille Tullii locus ostendit. Atque Venus hortorum fuit praeses, v. Wuestemann. de aedibus Scauri p. 184 sq. Qua re factum est, ut dea apud Graecos magis in hortis pratisque floridis quam sub tectis coleretur. Pindarus Pyth. V, 24. Veneris templum *γλυκὺν κᾶπον Ἀφροδίτας* et Valerius Cato Diris v. 116. flores elegantissime *Veneris stipendia* vocat, quod mutari volebant nonnulli satis insulse. Idem vero florum studium in Pervigilio cernitur. Annum autem Graecos ab dea illa auspicari amasse, Theocriti epigrammate XIII. in coelestis Veneris simulacrum scripto docemur v. 4.:

Ἀεὶ δέ σφιν λῷον εἰς ἔτος ἦν
Ἐκ σέθεν ἀρχομένοις, ὦ πότνια.

Quum vero nullam gentem magis quam Siculos saltatione et ludis delectari constet, v. Athenaeum p. 22, a p. 630, e. Grysar. de Doriens. comoed. Quaest. I.

---

10) Ceterum erant etiam, qui Amori hanc generationem darent, veluti, ut Hesiodum et Parmeniden missos faciam, Ar. Av. 697. ed. Bergl. Plut Erot. p. 756, F.

11) Plane ut in Orphicis describitur:

Τερπομένη θαλίαισι, γαμοστόλε, μῆτερ ἐρώτων.

12) Favonius hanc ob causam Amoris pater vocatur in fragmento, ut opinor, poëtae apud Plutarch. Erot. p. 765. D. Geminum in modum Zephyri filium alii eum faciunt. v. Valcken Diatr. c. XV. extr. et Neue fr. Sapphus CXXIV.

v. 55 sq. et p. 63., carmen a choro saltante esse cantatum suspicari licet. Quam suspicionem trochaicum metrum adauget, leve illud ac molle, tripudiantibus autem mirum quantum, ut ex ipso nomine satis apparet, conveniens. Itaque carmen ipsum opinor esse hyporchema, speciem quandam paeanum Doriensibus propriam, v. Mueller. Doriens. I. p. 251 sq. cl. Boeckh. Fragm. Pindari p. 589 s., [13]) cuiusmodi lyricae saltationi hyporchematicae *ὅρμος* aptissimus videtur esse, *χορὸς ποικιλόστροφος καὶ πολυκαμπής*, ut Eustathius ait apud Meursium in Orchestra p. 57. Quem chorum hoc in festo Siculos tripudiasse, non solum ob honestatem celebritatemque eius coniicio, sed etiam iccirco quia Daedalum fuisse auctorem perhibent, cuius opera institutaque diu apud Siculos vigebant. [14]) Atque de simili Spartiatarum more cf. Lucian. de saltatione 10 — 13. Nam assentiri nequeo Wernsdorfio p. 443 sq. in eo, quod alteram partem carminis 1 — 57 a virginum, alteram v. 57 — 92 a mulierum choro esse cantatam putat. Equidem potius virorum feminarumque commune crediderim fuisse festum. Certe nullum indicium est, ex quo carmen ad parthenia possit referri, contra reperiuntur, veluti v. 46:

Nec Ceres nec Bacchus absunt nec poëtarum deus

et paulo ante de Diana:

Ipsa vellet ut venires, si deceret virginem.

quae magis sane communi virorum mulierumque choro, quam solis virginibus conveniunt. — Iam igitur chorum videmus, qui tripudians cantat carmen, videmus alias personas, quae cantum imitantur scenica quasi saltatione (*ὑπορχοῦνται*), videmus denique omnia Doriensibus adeoque Siculis moribus institutisque niti. Nihilominus tamen magno opere verendum est, ne quis alia praeterea desideret

---

13) Iuvat Athenaei verba XIV. p. 631, C. apponere: *Ἡ δ' ὑπορχηματική ἐστιν ἐν ᾗ ᾄδων ὁ χορὸς ὀρχεῖται· φησὶ γοῦν ὁ Βακχυλίδης* (p. 53. ed. Neue.)

Οὐχ ἕδρας ἔργον οὐδ' ἀμβολᾶς — *καὶ Πίνδαρος δέ φησι* (fr. 78. ed. Boeckh.)

Λάκαινα μὲν παρθένων ἀγέλα — *ὀρχοῦνται δὲ ταύτην παρὰ τῷ Πινδάρῳ οἱ Λάκωνες· καὶ ἔστιν ὑπορχηματικὴ ὄρχησις ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν· βέλτιστοι δ' εἰσὶ τῶν τρόπων οἵτινες καὶ ὀρχοῦνται· εἰσὶ δὲ οἵδε, προσοδιακοί, ἀποστολικοί, οὗτοι δὲ καὶ παρθένιοι καλοῦνται, καὶ οἱ τούτοις ὅμοιοι· τὸν γὰρ ὕμνον οἱ μὲν ὠρχοῦντο, οἱ δὲ οὐκ ὠρχοῦντο· ἢ τοὺς εἰς Ἀφροδίτην καὶ Διόνυσον, καὶ τὸν παιᾶνα δέ, ὁτὲ μέν, ὁτὲ δ' οὔ.* Cf. etiam Boeckh. de metris Pind. III. c, 13.

14) De Daedali choro v. praeter alios Heynium ad Hom. Iliad. Vol. VII. p. 569 sq. De eiusdem Siciliensi commoratione agit Diodor. VI, 78., quo ex loco, data occasione, defensionem peto Callistrati verborum c. VIII. init. *Δαιδάλῳ μὲν ἐξῆν — πρὸς ἀνθρωπίνην αἴσθησιν ἐκβιάζεσθαι τὸν χρυσόν*, ubi Iacobsius p. 709., postquam cetera acutissime emendavit, *ξύλον* mavult quam *χρυσόν*. Scilicet inde ab Heynio opinio propagata videtur esse, Daedalum vel qui sub eius lateant nomine artifices non usos esse auro. Ita credidit Iacobsius h. l., nec aliter sentire videntur Silligius Catalog. artificum s. *Daedalus* et Thierschius Epoch. artis p. 37 et alibi. Atvero Diodorus l. l.: *Χρυσοῦν τε κηρίον τῇ Ἀφροδίτῃ Ἐρυκίνῃ φασὶν αὐτὸν φιλοτεχνῆσαι περιττῶς εἰργασμένον καὶ τῷ κατ' ἀλήθειαν κηρίῳ ἀπαραγχειρήτως ὡμοιωμένον.*

argumenta, quae quum exprimere nunc nequeam, proferam locum Philostrati maioris natu valde appositum. Is igitur tabulam quandam pictam Neapolitanae pinacothecae ita interpretatur, ut festum tantum non geminum ante oculos nostros positum credas. Lib. II. c. 1. sophista: Ἀφροδίτην, inquit, ἐλεφαντίνην ἁπαλαῖς μυρρίναισιν (v. v. 6.) ᾄδουσιν ἁπαλαὶ κόραι. Διδάσκαλος αὐτὰς ἄγει σοφὴ καὶ οὐκ ἄωρος. — — Καὶ τὸ μὲν σχῆμα τῆς Ἀφροδίτης Αἰδοῦς [15]) γυμνὴ καὶ εὐσχήμων. — — Ἀθάνατον [16]) γὰρ ἱκανῶς ἔχει καὶ κασίας καὶ σμύρνης. — — Ἄιδουσι γὰρ αἱ παῖδες, ᾄδουσι καὶ ἡ διδάσκαλος ὑποβλέπει τὴν ἀπᾴδουσαν, κροτοῦσα τὰς χεῖρας καὶ ἐς τὸ μέλος ἱκανῶς ἐμβιβάζουσα. — — Παραψάλλει δὲ αὐταῖς Ἔρως, ἀνακλίνας τοῦ τόξου τὸν πῆχυν [17]) καὶ ἡ νευρὰ παναρμόνιον ᾄδει καί φησι πάντα ἔχειν, ὅσα ἡ λύρα. — Τί δῆτα ᾄδουσιν; Γέγραπται γάρ τι καὶ ᾠδῆς. Τὴν Ἀφροδίτην ἐκφῦναι τῆς θαλάττης λέγουσιν, ἀπορροῇ τοῦ Οὐρανοῦ. — Τὴν γένεσιν δὲ ἱκανῶς ᾄδουσιν. Ἀναβλέπουσαι μὲν γὰρ ἐμφαίνουσιν ὅτι ἀπ᾽ οὐρανοῦ· τὰς δὲ χεῖρας ὑπτίας ὑποκινοῦσαι, δηλοῦσιν ὅτι ἐκ θαλάττης. [18]) Utrum saltantes mulieres utrobique fuerint Venereae, ἱερόδουλοι, nec ne, parum refert. De Philostrati loco Welckerus affirmat; de nostro carmine non pernego, praesertim quum iam Tullii aetate, vinculis sensim pedetentimque laxatis, servitus illa specie tantum nomineque, non re vera extaret. Pervigilium nostrum ab Hierodulis esse cantatum, vestigia manifesta, tametsi desunt, tamen eiusmodi quid inesse crediderim

v. 7.: Cras Dione *iura dicit* fulta sublimi throno.
v. 49.: Iussit Hyblaeis *tribunal* stare diva floribus,
Praeses ipsa *iura dicet*, *assederunt* Gratiae.

Pene nimius poeta hîc in forensium vocum usu metaphorico fuisse videtur, in quo Romanos cautissime versatos esse satis constat. Nescio igitur an his verbis iurisdictionis admoneamur, quae, dum Siculi in illa insulae parte erant λαὸς οἰκέτως θεοῦ (Eur. Androm. 1092.) penes deam ex antiquo Graecorum instituto fuit. De quo quum, quae triumviri Berolinenses memoriae prodiderunt, in vulgus nota sint omnia, nihil addo nisi duas inscriptiones n. 2416. et 3018. ed. Orell., quarum altera Hadriae reperta est, altera in lapide Pompeiano legitur, in quibus *Collegium Venereorum* et *Venerius* quidam *Col. L. Felix* memoratur.

---

15) Hoc cognomine Venus apud Lacedaemonios colebrabatur, v. Welcker. ad h. l. p. 404., et profecto carmen nostrum ita est comparatum, ut plane *pudicam* Venerem deceat.

16) Casia et myrrha ex Syrio cultu, de quo antea diximus, petitae sunt; memorantur etiam in celeberrimo Pindari scolio meretricum Corinthiarum p. 609. ed. B.

17) Pervigil. v. 29 sq.:

It puer comes puellis. Nec tamen credi potest,
Esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit.
Ite nymphae; posuit arma: feriatus est Amor.

18) Miror, quamobrem Welckero p. 403. haec extrema verba adeo inepta sint visa, quum mimicam saltationem in imagine fuisse pictam credibile sit.

Denique de tempore, quo Pervigilium sit scriptum, dicendum est, quod prius quam faciam, paucis de libris mss. exponere opus erit.

Quattuor vulgo feruntur esse antiqua Pervigilii exemplaria, quorum duo fortasse numquam in rerum erant natura. Alterum est Erasmi, quod ab Aldo Manutio accepisse dicitur, alterum Caspari Bahrdtii, in quo partem tantum carminis inesse ipse possessor pronuntiavit. De illo v. Wernsdorf. p. 444., quod ad hunc attinet, quanta fides Bahrdtio his in rebus habenda sit, historiae litterariae peritos non fugit. [19]) Itaque duo restant, Pithoeanus et Salmasianus liber. Utroque multa quum recentiora et spuria carmina innumerabilesque interpolationes contineantur, v. acutissimum Scriver. apud Burm. in Anth. L. I. p. XXXVI. cl. p. 41. et 542., farragine illa admodum caute ita est utendum, ut, quum in utroque codice eadem fere poëmata reperiantur, fontes scripturae diligenter indages. Denique penes me est apographus collationis cum codice quodam factae, quae inter schedas Diezianas in bibliotheca regia Berolinensi servatur, cuius originem esse opinor Thuaneum codicem, quem Heinsius in epp. ad Gronov. T. III. Syllog. p. 280. 284. memorat, in catalogo vero bibliothecae Thuaneae inter codices p. 459. sic notatum reperimus eum: „Excerpta ex Iuvenale, Persio, Eugenio, Martiali, Catullo, Seneca, Gratio. Varia epigrammata antiqua. Pervigilium Veneris. fol.“ Ipsa continet collatio nonnulla haud spernenda, quibus melior scriptura confirmatur, veluti v. 14. *paritu* p. vulgata *spiritu.* Iam si quaeris, utrum codicis Salmasiani s. schedarum Divionensium an Pithoeani antiquior videatur esse scriptura, huius libri maiorem iccirco esse respondeo auctoritatem, quod Salmasianus aperte correctiones corruptioris, quae in Pithoeano est, scripturae habet. Quae etsi plerumque probae sunt, [20]) tamen loca non desunt, in quibus Pithoeana scriptura non sollicitanda erat. Illustre exemplum habemus in v. 46.:

Detinent et tota nox perviglanda est canticis.

Ita rectissime Pithoeanus, nisi quod *est pervigilia* p. *pervigilanda est* in eo scriptum est. Salmasiano autem in exemplari quum *de tinente* legeretur, quanta inter se contentione viri docti coniecturas ad sanandum locum sanissimum protulerunt, quibus a Wernsdorfio ad h. l. enumeratis iam Frenzelii in Specim. Obss. critt. Susati 1800. et Moebii in Guentheri Wachsmuthique Athenaeo I, 1. p. 159. sq. commenta addere licet. *Detinere* autem intransitivo significatu, quemadmodum v. 13. *purpurantem*, accipiendum est, quo facto omnia plana sunt. Quod autem

19) Meminerint, quaeso, lectores editionis Gratii litteris Longobardicis impressae, ab isto equite simulatae totque aliorum eius mendaciorum.

20) Veluti v. 9. cod. Pith.: *Tuno quivore desuper hue spumeo pont' de glouo.* Recte emendata habes verba in Salmas.: *Tunc cruore de superbo, spumeo pontus globo*, ubi nihil mutandum. Similia vides v. 26. 32. 35. 86. et alibi. Etiam v. 40, in Pithoeano perperam omissum, suppeditat alter liber.

supra diximus, maiorem Pithoeanae, licet depravatae, scripturae fidem esse habendam, ut uno rem defungar exemplo, luculenter v. 15. confirmatur. Ibi quum in Pithoeano esset, *in totos pentes*, Salmasiani codicis auctor *in nostos penates* emendavit, at quanto praeclarius primus editor, Lipsius: *in toros tepentes!* [21]) Itaque inde efficitur, Pithoei librum veram scripturam, sed admodum corruptam, schedas Divionenses emendationes continere, in quibus acri opus sit iudicio, quippe quae quum saepe per se tum propter fontium ignorantiam parum probabiles sint. Neque desunt loci, in quibus pari corruptela uterque liber affectus est, ut v. 6., ubi *gazas* codd. habent pro *casas*.

De carminis auctore, qui accuratius disputaret, ante Wernsdorfium nemo inventus est. Nam nec qui carmen ad Catullum vel Veronensem vel Urbicarium referrent nec qui Luxorium, qui sub Thrasimundo, Vandalorum rege, vixit, auctorem haberi vellent, causas confirmandae suae sententiae attulerunt. [22]) Acrius rem investigare studuit Wernsdorf. p. 450—453. Floro poëtae, Hadriani aequali, carmen tribuens, non maiore, ut equidem reor, successu, quam quo eidem nuper Copam ascribere voluit Zellius. Quamquam Wernsdorfium quum alii tum Ramshornius sequuti sunt in Gr. L. p. 712. n. Atvero ipse parum sibi in sententia sua constabat. Primum enim huic Floro etiam historiarum libros, qui Flori esse dicuntur, tribuit, nescio quam dictionis similitudinem, quam equidem prorsus nequeo videre, perspectam habens, deinde, hac opinione reiecta, cum Bouherio in Floro poëta consistit, quem praeter illos apud Spartian. Hadrian. 16. memoriae proditos versiculos Pervigilii et Epigrammatum de qualitate vitae deque rosis auctorem esse vult. His vero non contentus, in Addend. ad T. IV. p. 854. et T. VI, 1. p. 26. P. L. Min. ex inscriptione quadam, ut mihi videtur, satis incerta Chelidonem quandam, Flori cuiusdam coniugem et poëtriam, mirifice ineptiens eruit, quae quum carmen composuisset, id quod ex v. 90. concludit, laudes operis marito relinquere voluerit. At, o bone, si Chelidon auctor erat quaerenda, praesto erat, nec vocata, credo, esset morata, Verrina ista. Quae vero tandem causa eum impulit, ut Flori esse carmen tam acriter contenderet? Scilicet quia *Floridi* Pithoei in exemplari superscriptum est, *Floro* autem subsequentes de qualitate vitae versiculi Salmasiano in libro tribuuntur, denique quod *Senecae* nomen suo codici praefigi Bahrdt. Advers. XVI, 6. narrat. Ut omittam, Salmasianum et Thuaneum omni nomine signoque carere, Pithoei sententiam, qui ipse oculis suis librum totiens viderit, potiorem nobis videri oportere patet. Is vero *Florida* intellexit sive *ἀνθηρά*, *λειμῶνας*, anthologiam, de quibus sufficiat excitasse Gronov. ad Gell. praef.

---

21) Quam eximiam emendationem Kirchnerus in elegantissima Pervigilii interpretatione, quae extat in Wolfii Anal. litter. II. p. 558., merito sequutus est. Ibidem vir doctissimus illud *detinent* (v. 46.) probat et v. 76. mala interpunctione affectum optime restituit.

22) Qui Luxorio carmen adscriberent, iis recte Burm. ad Anthol. L. II. p. 623. *ineptum iudicium* tribuit. Profecto nesciunt, *quid distent aera lupinis*.

M. A. p. 5. et Burm. ad Anthol. L. I. p. 574. Permutatio autem utriusque vocis creberrima est, v. Burm. l. l. p. 9. 10., significatio ipsa aptissima. Quod ad Barthianum illum Senecam attinet, damus, ita legi, etsi nec de ipso libro satis constat et ipse litteras *carie confectas* vocat, quis est, qui his poëmatis plane pro lubitu celebre quoddam nomen praepositum esse nesciat? Dicis causa commemoro unum ex multis, quae Senecae in codd. mss. tribuuntur, epigrammatis, satis insicetum A. L. III, 118.:

> Auro quid melius? iaspis. quid iaspide? sensus.
> Quid sensu? ratio. quid ratione? deus.

Aut quis libros audiet, in quibus Cuculo, Bedae Venerabilis eclogae, Virgilii nomen praefigatur? Denique ipse Bahrdt. Adv. XXVI, 4. XLIV, 6. ista de qualitate vitae epigrammata *Florido* ascribit et memini eundem alicubi afferre *Florida Senecae.* [23]) Sed piget, diutius in hac re morari, praesertim quum gravius esse videatur, perquirere, qua aetate quam ab quo carmen sit compositum. Antea vero quam progrediamur, Lilii Gyraldi verba apponam de Poët. dial. IV. p. 262., de quibus iudicium meum prorsus cohibeo; qui amplioribus fruuntur subsidiis litterariis, quid statuendum sit, videant. Ille igitur: *Fuit*, inquit, *et Theodosius Tripolites, ut puto, ex Africa, qui carmen composuit, quod ver inscripsit.* Sane carmen de *Vere* Pervigilium in schedis Divionensibus vocatur, etiam epigramma in Arzugitanum, id est Tripolitanum, quendam poëtam extat in Anth. L. l. III, 167. Afrismi vestigia in Pervigilio mox videbimus, verum equidem nullum novi Theodosium, nisi Mathematicum, non poëtam. Itaque auctorem carminis prorsus incognitum habeo. Quae sequi solent in editionibus epigrammata *de qualitate vitae*, ea multum Pervigilio cedere elegantia, iam Lipsius probe censuit Elect. II. c. 5., illi vero de rosis versiculi propter parem elegantiam venustatemque eiusdem fortasse poëtae sunt, id quod etiam Scriverius in animadv. ad Pervigilium p. 469. 471. suspicatus est.

Aetatis quaedam, etsi valde pusilla, vestigia his in versibus cernuntur:

> Ipsa Troianos nepotes in Latinos transtulit,
> Ipsa Laurentem puellam coniugem nato dedit,
> Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem;
> Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias;
> Unde Rhamnes et Quirites proque prole posterum
> Romuli, matrem crearet et nepotem Caesarem.

---

23) Ceterum, ne quis Wernsdorfii dictis in *Addend.* T. V. p. 166. sq., ubi taxat Vossii annotata ad Catull. p. 284., in errorem ducatur, illius ad Catullum verba pertinent ad Thomam Senecam Camertem, famosum veterum interpolatorem carminum, v. Huschkium in Catalogo edit. Tibullianarum p. LXXXV sq.

Sunt versus 69 — 74. In ultimo v. *patrem* Lipsius correxit, quo carmen, quod a se primo editum tamquam filiolam suam osculari solebat, ad Augusteum tempus referret. Qui codicum scripturam *matrem* retinet, is, quod nos aliquando fecimus, versum hunc ad Maesam et Bassianum s. Elagabalum referre potest. Nam his versibus non dubium est, quin Venus, quae proprie dicitur *Genetrix*, invocetur, sed vehementer errant, qui, ut Crusius Probabil. crit. c. XIII, hanc ad totum carmen transferunt. Maesa illa quidem erat τὸ γένος Φοίνισσα ἀπὸ Ἐμέσου καλουμένης οὕτω πόλεως ἐν Φοινίκῃ (Herodian. V, 3, 2.), sed quum Antonini Caracallae esset matertera, Romano sanguine exorta videri potuit, insuper assidue cavens, ne externam nepos iactaret originem (Herodian. V, 5, 5.) memorandaque propter potentiam, v. Dio C. 79, 1. Lamprid. V. Eleog. c. 12. ; Spanhem. de usu et praest. numism. Dissert. VII. p. 604. Eckhel. Doctr. num. vet. II, 7. p. 266 sq. Antiquius autem reor, Lipsii emendatione recepta, hunc versum ita ad Augustum referre, ut non ab aequalibus eius, sed a posteris cantatus sit. Strabo enim l. VI. c. 2. de Messana loquutus: Οἰκεῖται, inquit, δ' ἱκανός ἡ πόλις, μᾶλλον δὲ ἡ Κατάνη· καὶ γὰρ οἰκήτορας δέδεκται Ῥωμαίους. Et ibidem: Ἐφ' ἡμῶν δὲ Πομπηΐου τάς τε ἄλλας κακώσαντος πόλεις καὶ δὴ καὶ τὰς Συρακούσας, πέμψας ἀποικίαν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ, πολὺ μέρος τοῦ παλαιοῦ κτίσματος ἀνέλαβε. Hybla vero Aetnaeique campi prope Catanam siti erant vix duodecim miliaria ab urbe illa distantes. Iam apparet, carmen ab iis esse cantatum, quorum quum maiores ab Augusto Catanam et in circumiacentes regiones missi essent, pie illius memoriam posteri recolebant. Ex his demum penitus intelligere licet verba: *proque prole posterum.* Quantae vero curae haec Siciliae pars Augusto fuerit, qui aedem Erycinae vetustate dilabi pateretur (v. Tac. A. IV, 43), ex nummis Catanae repertis apparet, in quibus Augusti non magis quam Veneris imagines nominaque ac signa conspiciuntur, cf. Havercamp. Comment. in Parutae Numism. Catan. p. 184 sq. (Thesaur. Sicul. Vol. VI.) cl. Carrera Monum. historic. U. Catanae III. c. 21. [24])

Verum, ne in contrariam partem peccando carminis aetatem nimium deprimamus, duo scriptores, in quibus aperta ac manifesta Pervigilii est imitatio, cavebunt. Quorum alter est Fulgentius Mythol. L. I. p. 11. ed. Munck.:

Ubi guttas florulentae
Mane rorant purpurae,
Humor algens, quem serenis
Astra sudant noctibus.

Cf. Pervigilium v. 19 sq. Alter est Calpurnius Ecl. I, 4.:

Vaccae
Molle sub hirsuta latus explicuere genista.

---

24) D'Orvillii Siculis uti me non potuisse, vehementer doleo.

Pervig. V. v. 81.)

Ecce, iam ſuper geniſtas explicant tauri latus.

Vide plura apud Wernsdorf. p. 350 cl. T. IV. p. 558. Quum autem Calpurnium *Siculum* Caro eiusque filiis imperantibus vixiſſe ex Wernsdorfi disputatione T. II. p. 5 ſq. probabile ſit, ante a. p. Ch. n. 280. Pervigilium eſſe compoſitum ſatis patet. Quod ut crederem, aſſidua carminis lectio plane apud me effecit. Nam et metrum et verborum delectus et argumentum ipſum mirifice congruentia auctorem eſſe ingenioſum quendam ſeculi tertii ineuntis hominem indicant.

Primum quod ad metrum attinet, concedo Hermanno Elem. Doctr. M. p. 86. lapſa iam arte fuiſſe, qui ſpondeum in paribus locis admitterent, id quod ubique indulſiſſe ſibi videtur Pervigilii auctor. At in ceteris, ubi ſeveriores Graecorum leges violavit, idoneo ſe defendere poteſt auctore, Epicharmo, qui dactylum et tribrachum ubique, anapaeſtum vero, omnibus in pedibus, praeterquam in ſeptimo, admittit, cf. Gryſar. de Dorienſ. Comoedia Quaeſt. p. 227. ſq. Itaque reperimus v. 31. tribrachum in ſecunda dipodia: *poſuit;* v. 62. anapaeſtum in tertia dipodia: *aleret;* v. 76. ibidem eundem: *Venerem.* Illud vitium *Romuléas* iam excuſavimus, aliis in locis ſcriptura parum explorata eſt, quam ut certo iudicari liceret, in aliis denique metricum peccatum poëtae ab editoribus obtruſum eſt, veluti v. 23.;

Facta *Cypris* de cruore deque Amoris osculis.

Cypris repoſuit Scriverius, qua de voce bonis poëtis parum uſitata v. Vavaſſor. de vi et uſu quorund. vv. ſ. v. et Burm. ad Anth. L. I. p. 484. Codices habent, *prius*, quod fortaſſe non eſt mutandum. Nec iambum reformido, v. 82. eadem in ſede reſtituendum *Quisque tuus*, ubi hodie *tutus* legitur. Quodſi illo verſu *prius* mutari vis, anapaeſtus praeſto eſt *pueri*, quemadmodum Santenius in Obſſ. ad H. Balbum ed. Retzer. [25]) corrigi voluit. Omnino meminiſſe decet, rythmum in eiusmodi carmine metro praevalere debere, qui non quovis erga metricas leges delicto tollitur. Cf. eximiam Salmaſii ad Flav. Vopiſc. Aurelian. c. 6. disputationem. Qui vero rythmi magis aequabilis dulciorque inceſſus fingi poteſt? Simul contende, qnaeſo, quantum degeneraverint poëtae ſubſequentes, evolve Bahrdtiana de Auſonii metricis et quantitatis vitiis p. 808—811. ed. Toll., perlege vel primum Prudentii hymnum *περὶ Στεφάνων* et intellige, quantum his ſordibus praeſtet noſtrum carmen. Alterum de quo dicturi eramus, verborum delectus eſt, congruens fere cum Appuleio, Sympoſio ceterisque Africa oriundis ſcriptoribus, qua ex re novum Siculae originis poteſt peti argumentum. Quoniam autem nec Lexica nec editorum annotata excerpere placet, admodum pauca addere animus eſt. In

25) Quarum excerpta extant in Beckii Comment. Societ. Lipſ. Phil. Vol. II. P. 1, p. 145 ſq. v. me ad Propert. praef. p. XXX.

Wernsdorfii de frequenti *de* praepositionis usu dictis tenendum est, iam Ovidium praeivisse Met. I, 127.:

De duro est ultima ferro.

et Fast. V, 223.:

Prima Therapnaeo feci *de* sanguine florem.

plane ut Pervigilii auctor v. 4. *de maritis imbribus* v. 23. *facta prius de cruore* et saepissime. Idem fere de *vel* p. *et* dicto v. 53. valet, quae significatio optimo cuique cognita (v. Forcellinum) facile ex propria vocis vi ducitur. V. 7. *thronus* Plinianum vocabulum, quod fortasse iam Augusti aetate in usu erat, v. me ad Suet. Aug. c. 70. V. 11. *fecit* p. creavit, ut in Ovidii, quem modo attulimus, loco. Adde Varronem de R. R. III, 5 et 9. Plin. N. H. XI, 18. V. 13. *purpurare* passive dictum, quemadmodum *detinere* v. 46. Similia creberrime reperiuntur apud Appuleium. V. 21. *Virgines papillae* dicuntur ad modum *rosae virginis* apud Appuleium, v. Oudend. ad Metam. p. 252. Eodem in versu nota *peplum*, quod de alia ac sacra veste apud aureae aetatis poëtas vix dicitur. V. 26. *pudebit* priscum est et affectatum, denique Appuleianum. Idem cadit in contractam formam *perviglanda* v. 46.; v. Salmas. ad Scriptor. Hist. Aug. II. p. 276. cl. Reisig. Coniectan. in Aristoph. p. 28. In aliis cum Petronio, aequali suo, consentit, ita ut nihil prorsus in Pervigilio reperiatur, quod non ex scriptoribus usque ad tertii initium seculi florentibus possit probari.

Extremo loco de ipso dicendum est carmine. De quo adeo diversa et inter se repugnantia iudicia lata sunt, animus ut ad causas indagandas vehementer incitetur. Sed ut meam de hoc poëmate sententiam praemittam, tametsi eorum in numero haberi nolim, qui, in quo versantur forte scriptore, eum solum qui legatur dignum ac fere incomparabilem esse clamitant sitque vel Reposianus, Virgilio eum praestare vociferantur: tamen id celare nequeo, Pervigilium non modo non ab ulla parte reprehendendum, verum etiam inter praestantissima Latinae poësis monumenta referendum mihi videri. Nullo pigmento fucoque, nullis orationis calamistris tinnituque animos allicit, sed nativo quodam colore et incorrupta ad se trahit simplicitate. Nam, si quid video, inest rusticum quiddam.[26]. Idque in eo cernitur, quod nihil praeter Veneris Genetricis brevissimam invocationem reperitur, quo urbis urbanarumque rerum admoneamur; nulla non imago, quaecunque sententia, unaquaeque vocula ex vita rustica petita est. Atque hac eadem tenerrima simplicitate factum est, ut tumorem quendam nonnulli, in quibus Bouherius est, deprehendisse sibi viderentur. Idem me olim sensisse non negaverim, sed assidua lectio Lydio similis est la-

26) Vehementer profecto laetatus sum, quum idem censere vidissem magnum Niebuhrium in Museo Rhenano III, 1. p 3. Aliter quidem Bernhardy sentit in Literat. Rom. p. 256.

[illegible] Nam quod in Curtio nobis accidere ſolet, ut laeta ac fumoſa rerum et regionum deſcriptione in initio capiamur, mox autem, omnia ſi ad vivum reſecueris, rhetoris lenocinia ab rei veritate abhorrentia cognoſces, id tantum abeſt, ut in Pervigilio legendo experiamur, ut plane contrarium nobis eveniat. Quae enim primo obtutu quaeſita longeque arceſſita ac tumida videntur eſſe, ea iterata lectione ſimplicia, ex diligenti naturae ſcientia ducta eamque ob rem candido ruſticanorum hominum ſenſui egregie convenientia eſſe apparebit. Luxuriat quodammodo, fateor, oratio: at hoc eſt populorum meridiem verſus habitantium. Tumorem ineſſe vulgo putant comparationi inter naſcentes floreſcentesque roſas et laxata papillarum ſtrophia inſtitutae v. 15 — 26. Quis vero ſummum, quo roſae apud veteres florebaut, honorem ignorat? Quem fugiunt plurima et praeclara earum encomia, in quibus illud celeberrimum eminet Achillis Tatii? Accedit beata Latinae linguae in rebus hortenſibus ubertas. Perlege vel unum Columellae de cultu hortorum poëma et admirare eximiam artem prodigialiter variandi rem unam. [27]) Quid igitur mirum eſt, ſi poëta in carmine de Venere Veneris florem laudibus ornat, praeſertim quum omnia tam diligenter naturaeque convenienter enarrata ſint, ut equidem et verbum addi et demi nolim. Dixerat iam Virgil. Ge. II. v. 75:

Nam quae ſe medio trudunt de cortice gemmae
Et tenuis rumpunt tunicas. [28])

Comparationem, quam ille exorſus erat, enucleatius noſter poëta ita pertexuit, ut eiusmodi rerum curioſum hominem haud dedecuit, nec putide et nullo lectorum faſtidio.

---

27) Non poſſum equidem, quin ex ſex Roſarum epigrammatis (Anthol. L. l. III, 288—292. Wernsd. P. L. Min VI, 1. p. 167 ſq.) quorum unumquodque, ſi quid ſentio, elegantius eſt quam Auſonio tribui poſſit, unum, quod proxime ad Pervigilii locum accedit, integrum apponam:

O quales ego mane roſas procedere vidi!
Naſcebantur adhuc neque erat par omnibus aetas.
Prima papillatos ducebat [*tecta*] corymbos;
Altera puniceos apices umbone levabat;
Tertia non totum calathi patefecerat orbem;
Quarta ſimul nituit, mutato tegmine floris.
Dum levat una caput dumque explicat altera nodum,
Huic dum virgineus pudor exſinuatur amictu,
Ne pereat, lege mane roſas; cito virgo ſeneſcit.

Profecto ſingularis quaedam ac plane Catulliana venuſtas!

28) Doctus hercle poëta (noſtra aetate *rara avis in terris nigroque ſimillima cygno*) Comes de Platen in Carminib. p. 129.:

Und der Oſt, der kecke Freier
Löſt den Knoſpen ihre Mieder.

Indignari autem fas est editoribus, qui sermonem, quos [illegible] simillimum, [illegible] [illegible], ei, qui paulo oscitantius commentarios evolveret, facili negotio totum carmen ex pannis antiquiorum poëtarum purpureis esse consutum persuaderent. Ne unus quidem versus reperitur, quem ex alio poëta sumptum esse probari possit, cuiusmodi multi in Ausonio sunt. Ita omnia vigent et suo quasi sanguine vivunt et florent, non venis aliunde ductis misere aluntur. Quem autem locum (v. 59—62.) ex Virg. Ge. II, 325. manifesto desumptum esse volunt, in eo similitudo facile ex eo explicari potest, quod Virgilianis versiculis sententia tota antiquitate tritissima pronuntiatur, quam ab multis propter linguae egestatem iisdem fere verbis repeti necesse erat, v. Creuzer. Symbol. II. p. 586. An Columellam servum vocabimus imitatorem, qui idem argumentum luculentius, etsi similiter, tractaret de cultu hortor. v. 195—220? Multo etiam minus de Statiano loco Silv. I, 2, 183 sq. dicere attinet, quem a Pervigilio alienum esse recte censuit Handius. Sed mirifice in eo ineptit Wernsdorf. p. 583 sq., Rivini rivulis steriles suos irrigans campos. I nunc et compara Arborii, Pentadii, Lactantii, Galli personati carmina, descende per me ad Prudentium et Venantium Fortunatum, suggere fucatum ad Lydiam poëma, sanguine et viribus carens, perscrutare Hildeberti sordes, quibus, quid sint centones, discas, resume, ista sentina relicta, Catullum, Virgilium, Statium: Petroniana et Appuleiana aetas sola erit, quae nostro convenit carmini.

Carmen ipsum esse mutilum et truncatum, ut haud difficile intellectu est, ita vehementer demirari licet, editores nihil eiusmodi suspicatos esse aut suspicionem litteris suam mandasse. Nam temeraria Bouherii opinio, carminis fuisse antiquitus duas diversas partes, a librariis prave coniunctas, huc non magis pertinet, quam quod Buergerus in interpretatione vel potius imitatione sua Pervigilii, tris partes constituit. Neque video, quid verbis codici Salmasii ascriptis: *Pervigilium Veneris trochaico metro. Sunt vero versus XXII.*, proficere possimus, certe Scriverii emendatio est reiicienda. Ab initio usque ad v. 80. chorus solum in deae potentissimae laudibus versatur. Quibus in versibus quamvis transitus interdum durior videatur, id, utpote in lyrico carmine, offendere nequit. Quamquam enim ante v. 59. aliquid deesse penitus persuasum habeo, tamen hoc loco lenissimo illo transpositionis remedio fortasse utendum est. Versu autem 81. ad alia prorsus disparia poëta accedit. Vesperam iam adesse nuntiatur eiusque signa enumerantur. Iam ab v. 89. non chorus cantare videtur, sed singula persona, quae Apollinis gravem in se iram quaeritur. Quae verba quomodo cum antecedentibus sint coniungenda, non video, nisi nonnullos saltem versus excidisse statuas. Nam quominus ipsos illos sex versiculos aliena manu Pervigilio annexos esse crederem, prohibuit summa rythmi sensuumque similitudo, coniuncta cum quadam eleganti doctrina. Constat satis, Pervigilio versus esse additos, quos, qui talium lautitiarum est amator, viderit apud eorum interpretem Weitzium in Petronio ed. Lotich. p. 312 sq., at eiusmodi suspicio vix in illos cadere posse videtur. Varia coniici possunt, quae quum luculenter nec probare nec refellere liceat, reticeri satius duximus. Unum addo, versus

esse videri possit, qui, ut etiam aliae fortasse personae, loquens introducebatur quasi in scenam, ita ut totum carmen fragmentum esset maioris poëmatis ex genere eo, ad quod Adoniazusae referuntur. Atque haec hactenus.

Iam vero, nisi nostra disputatio ad irritum cadit tota, Pervigilii auctor et Anacreontis (v. Critias ap. Athen. XIII. p. 600. E.) et Theocriti aemulus nominandus est, cui tantum cedit, quantum Graeca lingua Latinae praestat. Quod ille canendi argumentum sibi sumpserat, idem hic quadringentis ferme annis post eligit, in quo operam suam collocet. Ambo Siciliae amoenissimas regiones, laetis floribus vestitas, incolasque pios, modestos, aerumnosissimam vitam facile tolerantes adeo vivide pingunt, ut ante nostros oculos versari eos credas. Ab Latino poëta praeterea ad suavissimum festum, inter myrteta ac rosaria actum, ducimur haud inviti reluctantesque, nam, ut Columellae de festo veris rurali versibus utar de cultu hortor. 278 — 281.:

Hic nullae insidiae nymphis, non ulla rapina,
Casta fides nobis colitur sanctique Penates.
Omnia plena iocis, securo plena cachinno,
Plena mero laetisque virent convivia pratis.

Haec scripseram typothetisque prelo subiicienda tradideram, quum insigni humanitate *Zoberi*, viri doctissimi, qui bibliothecae civitatis Sundensis praeest, ad me transmissum est corpus Grammaticorum Latinorum Putschianum, a me multis abhinc annis tritum. Ex quo, occasione oblata, nonnulla subiungere haud ab re alienum visum est.

Beda S. p. 2379.: „Metrum trochaicum tetrametrum, quod a poëtis graecis et latinis frequentissime [29]) ponitur, recipit locis omnibus trochaeum, spondeum omnibus, praeter tertium." Idemque tradit Plocius p. 2639. Cui praecepto auctor Pervigilii ita obtemperavit, ut spondeum tertio loco ubique evitaret, praeterquam quod v. 35. *in armis* legitur, nam v. 52. corruptus est. Illo autem in versu Pithoeanus *inermis* habet, id quod speciose in altero libro emendatum est, num recte, nescio. Atque etiam in quinto septimoque loco spondei raro inveniuntur, de quibus

---

29) Nisi hic comicorum tetrametri sunt intelligendi, ingentem id genus versuum multitudinem periisse oportet. Nam praeter Prudentii et Venantii Fortunati versus, perpauci tetrametri trochaici supersunt, nonnulli apud Suetonium Scriptoresque historiae Augustae, alii apud Grammaticos, veluti Atil. Fortunat. p. 2693.: *Tale quale vere primo sibilat teres donax.* Plerosque collegit Rivinus in ed. Pervig. Hag. Com. 1712. p. 158—160.

[illegible] disputare eius esse, qui singulorum versuum [illegible] [illegible] perit, quod nunc certe a meo instituto [illegible] professus sum. — [illegible] de iambo in trochaicis versibus admittendo p. 27. [illegible] mantur Marii Victorini verbis p. 2529. Ibi enim de iambo ex trochaicis versiculis excludendo agens: „Quamquam, inquit, Terentianus, non poenitendus inter ceteros artis metricae auctor, sedulo refragetur. Nam secundam sedem in trochaico versu trimetro acatalecto velut legitimam Iambo assignat." Et ipse Maurus p. 2432.:

En cur iambo non trochaeus serviat,
Qui metron ipse copulat trochaicon.

Adde p. 2434. Itaque v. 23. et 82. iambum nolim tolli, quippe qui ab caesura excusationem petere posse videatur, ita ut rythmus non conturbetur, quod vero non in v. 72. *Romuleas* cadit. Ceterum quum Santenianis copiis uti non liceret, num quid ab illo ad hos Terentiani versus sit annotatum, prorsus me fugit. — Complures autem apud grammaticos occurrunt (nolite, o boni, hoc vocis usu, si quis alius, probo stomachari) qui in eodem ac Pervigilium argumento versari videntur, veluti apud Mar. Victorin. p. 2545.:

Ver agere purpurea te Venus amoribus
diva pollens iubet.

Annectendus fortasse est Bacchiacus eadem pagina:

Ab Euro sonorum quis Aetnae per maria.

Denique etiam Hierodulorum mentionem video factam esse apud Atil. Fortunat. p. 2691.:

Coelicola veneris sacra femina.

Nemo non dactylicum tetrametrum acatalecticum ita intelligit esse refingendum:

Coelicolae Veneris sacra femina.

Alia in praesentia omittere satius duximus.